



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 68. Quid addendum sit circa denudationem colli & pectoris in mulieribus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42634**

teneor alterius malitiæ condescendere cum tali  
damno meo spirituali.

246 §. 3. Rarò vel nunquam teneris in propriis  
bonis jacturam gravem facere , ne proximus ob  
aliquam actionem tuam etiam ex infirmitate in-  
de accipiat occasionem peccandi , ita *Castrop.* p.  
17.; Rationem dat *Sanch.* in Dec. I. 1. c. 7. n. 11.,  
quia quando inde oritur grave damnum , est ve-  
luti moralis impotentia vitandi talem occasio-  
nem , & tum causa est eam permittendi ponendo  
rem indifferentem.

247 §. 4. Quando aliquid non est per se malum  
aut specialiter prohibitum , non teneor ab eo  
abstinere , etiam si alius illo utatur ad malum fi-  
nem , si ego ob bonum vel indifferentem finem  
cum rationabili causa id faciam , ita *Less.* in Auqt.  
v. *Matrimonium* cas. 18., ex quo sequitur quam-  
vis puella sine ulla causa præbens se conspicien-  
dam adolescenti , à quo scit se turpiter amandam,  
peccet mortaliter , si dedita operâ se offerat , ta-  
men non peccat , si hoc faciat ex necessitate , &  
saltē non mortaliter , si faciat ex utilitate , aut  
ne se privet suâ libertate vel jure exeundi domo ,  
aut stando ad ostium domus vel fenestram , ita  
*Cajet.* *Bonac.* *Sanch.* *Dian.* p. 2. t. 15. R. 30.

248 Q. 68. *Quid addendum sit circa denudationem  
collis & pectoris in mulieribus.* R. De hoc videri po-  
test *Eliz.* in Reg. mor. I. 8. q. 13. §. 9., qui morem  
illum verbis gravissimis persequitur : præcipua  
ejus ratio est , quia ejusmodi mulieres quærunt  
placere & appeti à viris , certæ autem sunt ple-  
rosque per hoc habituros complacentias & ap-  
petitus prayos : quod valet non tantum de libe-  
ris , sed maximè de conjugatis , quibus minùs li-  
citum

cittim est quærere placere alienis. Nec abstat, quod mulieribus licitum sit ostendere suas facies, quæ tamen sunt pars pulcherrima, nam in primis ostensio faciei est necessaria & à natura ipsa inducta in humanam conversationem, ut homo ab homine dignoscatur; deinde est ordinaria, ideoque minùs movet; & si quandoque ad malum trahat, est culpa defixè aspicientis: è contrà denudationes illæ sunt veluti contra naturam, quæ vult reliquas partes præter faciem & manus tegi, deinde est contra morem communem mulierum honestarum. Verba Eliz. sunt hæc. *Homines & pudentes mulieres, quæ faciem solum ostendunt, credere ex hoc aut apud se dicere non possunt, istæ peculiariter & tanquam fœminæ à nobis amari & appeti volunt, aut eò eunt, ut placeant nobis, si verò eas videant nudas, credere dicereque possunt, istæ amari & appeti à nobis volunt & placere nobis, hæc autem est maxima motio & tentatio, & per se ad hoc ipsum ordinata, ergo est grave peccatum: & explico, quia si quid hujusmodi etiam remotissimum fœminæ Viris loquerentur, valde tentarent & peccarent, at æquivalenter opere ipso loquuntur..... Hoc est genium & ingenium mulierum, ut avide cupiant amari & appeti, cum enim sint naturâ valde superbæ, & nihil ipsis relictum sit, in quo superbire possint, non enim plausus doctrinæ, non gloria militaris nec potentia civilis: in hoc gloriam omnem ponunt, ut homines hinc saltem sibi subjiciant, illiciant, & irretiant, & quamquam ad alia transire nolint, amant tamen hanc suam victoriam & triumphum ac superioritatem..... Olim quidem ego existimabam plures mulieres quam viros salvare ex pari numero, quia nec Magistratus nec præfecturas gerunt, neque alia propter quæ multi homines percurent; at postquam istam mulie-*

rum

rum vanitatem & superbiam hominibusque placendi maximum appetitum , & inde captam gloriam consideravi , plurimum dubitare cœpi . . . . Si igitur , ut dicebat Hieronymus , quisquis aliquid ita facit , ut videatur ab hominibus , Scriba est & Phariseus , istæ quid erunt , quarum hoc ferè unum est negotium , ut bene videantur ac placeant , & quantum ipsæ possunt , opere ipso moveant , illiciant , impellant , & sic triumphent . Nec juvat , si se excusent aliæ per alias , dicendo , ista & ista facit : nam hic circulus est vitiosus , omnes enim , quæ faciunt , in hoc malè faciunt .

**249** *Q. 69. Quid dicendum sit de fœminis , quæ permittunt sūi tactus vel oscula.* **R.** Fœmina permittens tactum sui vel osculum turpe ac venereum , peccat mortaliter , si non impedit quando commode potest , quia concurrit ad actum mortaliter malum : si tamen publicè id fiat , docent Azor aliique cum Bonac. de matr. q. 4. p. 9. n. 10 non peccaturam graviter , si permittat , quia repellendo ingereret animis adstantium suspicionem peccati & infamaret alterum ; sed hæc ratio vix habet locum in praxi , quia potius censetur honestatis & verecundiæ id repudiare ; nec ideo , si repellatur aliquis , apud vulgus patitur infamia : si autem hoc tentetur secretò , omnes tenent fœminam non posse permettere ob rationem datam. Quod si dubitet , an id ab altero fiat malo animo , *Filiucius & Tambur: in Decal: I. 5. c. 1. §. 4. n. 25.* negant teneri impedire , quia in dubio nemō præsumitur malus . ; *Bonac:* probabilius affirmat , quia vix aberit culpa , & fœmina utitur jure suo , consultque saluti proximi .

A R-